

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

De vniuersali concilio, ad quod ex omnibus orbis partibus Episcopi
confluxerunt. Cap. VII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

EVSEBII DE VITA

Quomodo Concilium Nicæa cogendum imperauerat.

CAP. VI.

DEincepis igitur concilium generale, tanquam quendam dei exercitū instruens, in unum locum coegerit: & Episcopos vndeque per literas honorifice scriptas, ut eō maturarent, acciuit. Neque mandatum duntaxat erat ad hanc rem datum, sed in ea peragenda multum attulit subsidiū authoritas imperatoris ac nutus: qui nonnullis fecit potestatem, equis publicē ad iter celeriter conficiendum dispositis utendi: aliis permagnū iumentorum instrutorum, quibus veherentur, numerum suppeditauit. Ciuitas autem Bythiniæ, quæ Nicæa anno T̄HS VIKHS id est à victoria nomen traxit, concilio celebrando admodum idonea, designata fuit. Vbi autem edictum in quaque prouincia diuulgatum erat, omnes summa cum animorum alacritate, tanquam è carcerebus ad cursum emissi, properè aduolarunt. Nam bonorum spes ipsorum mentibus iniecta, vel potius pacis fruendæ potestas, & noui ac peregrini cuiusdam miraculi spectaculum, quod in tanti imperatoris vultu ostendebatur, eos allexit plurimum. Postquam autem omnes in unum conuenerunt, opus illud diuinaprouidentia facilitatum, pro certo iam intellectum fuit. Nam non solum, qui animorum dissensione erant, sed etiam qui corporibus, regionibus, locis, gentibus longissime disiuncti, unum in locum aggregati sunt. Atque una ciuitas eos omnes, tanquam maximam sacerdotum coronam, ex multiplici nitidorum flosculorum varietate contextam exceperit.

De uniuersali concilio, ad quod ex omnibus orbis partibus Episcopi confluxerunt.

CAP. VII.

EX omnibus nanque ecclesiis, quæ frequentes in tota Europa, Africa, & Asia extiterunt, Dei ministri, qui facile primas ferre putabantur, in unum conuocati,

cati. Templum etiam Nicææ, velut Dei nutu amplificatum intra parietes suos Syros pariter & Cilices, Poenices, Arabes, & Palæstinos, Aegyptios porro, Thebaeos, Afros, aliosque ex Mesopotamia profectos recepit.

Aderat etiam vna in concilio Persidis Episcopus: nec ab hoc choro Scytha absuit. Pontus item, Galatia, Pamphilia, Cappadocia, Asia, & Phrygia, viros apud se lectissimos suppeditarunt. Quinetiani Thrases, Macedones, Achæi, Epirotæ, & quorum domicilia multo longiore locorum interuallo distabant, eò aduentarunt. Ex ipsis Hispanis unus nominis & famæ celebritate insignis, cum aliis multis in confessu illo adfuit. Et quamquam urbis illius penes quam imperium est, episcopus, ingrauescente ætate præditus, absuit, eius tamen præsbyteri qui aderant, illius locum suppleuerunt. Talem Coronam solum ex omni præteritæ ætatis memoria unus imperator Constantinus, pacis vinculo ad Christi gloriam devinxit, & quo seruatori suo gratias ageret, istud eximium victorix ab hostibus & inimicis partæ monumen-
tum obtulit, effigie Chori Apostolici pulchre in hoc no-
stro conuentu expressa.

*Quomodo secundum id quod in actis Apostolorum traditur
variae gentes ad concilium profectæ sunt.*

CAP. VIII.

NAm dicitur in sacris literis, illorum temporibus vi- Act. 2.⁷
ros pios ex omni natione, quæ sub cœlo est, in v-
num conuenisse. Inter quos erant Parthi, Medi,
Elamitæ, & qui incolunt Mesopotamiam, Iudæam, &
Cappadociam, Pontum & Asiam, Phrygiā & Pamphi-
liam, Aegyptum & partes Lybiæ, quæ est circa Cyrenam,
& aduenæ Romani, Iudæi & Proseltæ, Cretes
& Arabes. Verum illis hoc defuit, quod non om-
nes, qui eò venerunt, ex Dei ministrorum numero ca-
ravit illi quidem.